

B. M. II, 185.

h. 50, 75. X 188A 045

II m
585



CANUTUS VI REX DAN

FRIDERICUS REX DAN

Præsides
 LUDOVICO LIEBHARDO, Hist. P. P.
 et Alumn. Brand. Insp.
 In Illustri CHRISTIAN-ERNESTINO d. 30. Apr. MDCLXXIII.
 in cathedram publicam, produxit
 LEONHARDUS LUDOVICUS Slog, Dresdā Mism.
 BARUTHI apud Ioh. Gebhardum.

46 6





SERENISSIMO PRINCIPI
ELECTORATUS SAXONICI HEREDI
AC DOMINO,
DOMINO

JOHANNI GEORGIO III.
SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, ET MONTIUM
DUCI, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MAR-
CHIONI MISNIÆ ET UTRIUSQUE LU-
SATIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBUR-
GI, COMITI DE MARCA ET RA-
VENSBERG, DYNASTÆ IN
RAVENSTEIN,

PRINCIPI AC DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO
PERENNEM FELICITATEM!

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE
CLEMENTISSIME.



*Udent viles hæ pagellæ Augustissimum
V E S T R Æ S E R E N I T A T I S N o -
men sibi inscribere, & ut I P S A illis
faveat, & favoris publici viam regiâ
humanitate aperiat, summâ devotione
rogare, non sui quidem, sed argumenti
potissimum fiducia. Impudens fortè & audax vide-
ri possem, quòd juvenis tantum Principem compellare
hoc immaturò ingenii mei fœtu non erubescam. Ve-
rùm cum præsens Exercitatio ea spectet, quæ Illustris-
simis*

simis REGII ORDINIS ELEPHANTINI
EQUITIBUS, quos inter unà cum Potentissimis RE-
GIBUS & PRINCIPIBUS VESTRA SERE-
NITAS Illustrissimum Suum & verè Equestre nomen
profitetur, post divinum cultum sanctissima esse de-
bent, nullus dubito, quin argumentum, quod hæ sibi
prescripserunt pagina, VESTRÆ SERENITATI
gratissimum acceptissimumq; sit futurum. Proinde
ad SERENISSIMÆ VESTRÆ CELSITUDI-
NIS pedes laborem hunc subiectissimâ animi devotio-
ne devolvo, humillimis precibus contendens, velit
VESTRA SERENITAS hosce meos conatus, ut
subjectionis debitæ & æterni obsequii monumentum &
pignus habere, meq; meaq; studia, in idunicè directâ, quò
Principi Meo me aliquando probem, clementissimè re-
spicere, atq; Suâ tam Illustri apud omnes Clementiâ ul-
terius prosequi. Indignos quidem eos esse Tanti Prin-
cipis aspectu, haut diffiteor: at liceat thura non habenti
sale & farre tostò libare. Quod reliquum est, DE-
UM Opt. Max. quotidie precari nunquam cessabo, ut
VESTRAM CELSISSIMAM SERENITA-
TEM cum CONJUGE SERENISSIMA, totâq;
DOMO SAXONICA inter hos vicinorum bello-
rum turbines incolumem florentemq; quàm diutissimè
superare, cunctisq; coeptis ex animi sententiâ & votò
felicissimè agere sinat, quò pax tot desideris à multis
retrò

retrò annis expetita, & divinâ faventis Numinis gra-
tiâ demum concessa, nostrisq; Laribus hætenus clemen-
tissimè conservata, imposteriorum quoq; constantissimè
servetur, bonumq; publicum subinde majora capiat in-
crementa ! Scrib. Baruthi Francorum d. 9. April.
Anno clō Ioc LXXIII.

VESTRÆ SERENITATIS

Subiectissimus Cultor

LEONHARDUS LUDOVICUS Voigt.

I. N. J. A.

THESIS I.



REGII ORDINIS ELEPHANTINI Historiam ab imâ stirpe exorsuris præfandum aliquid est de Occasione, quæ incluto huic Ordini instituendo suppeditata antiquitus fuit. Quem-

Instituti
Ordinis
Elephan-
tini Oc-
casio.

verò -admodum Sacræ & Religiosæ Expeditiones non paucos, eosq; celeberrimos Equitum Ordines produxerunt; ita quoq; instituendo Ordini Elephantino nata eadem occasio est. Cùm enim Seculo XI. post salutiferam CHRISTI nativitatem Saraceni omnem ferè Palæstinam sub potestatem suam rede- gissent, sedibus suis exciti bellicosissimarum, sed ta- men Christianæ Religioni addictarum nationum populi velut ad commune extinguendum incendium concurrerunt, quos inter numerandi omninò sunt DA- NI, ab aliis DACI appellati, qui studiò recuperandæ à Turcis & Saracenis Terræ Sanctæ in Palæstinam profecti, sub victricibus GOTHOFREDI BULLIO- NÆI, Ducis Lotharingiæ signis, stipendia fecerunt. Ita namq; JO. ISAACIUS PONTANUS, Historiogra- phus Regis Daniæ celeberrimus, in *Rerum Danica- rum*

rum Historia ad Ann. 1103. Aderant in exerci-
tu Godofredi Bullionei non tantum ex Germania &
Gallia, sed DANI quoq; & NORWEGI, viri militares,
incredibili multitudine, quos pietas & gloria stimulabat.
Nec terrâ tantum, sed classibus quoq;, Galliâ Hispaniâq;
circumnavigatâ, per Herculis fretum mare mediterraneum,
contemptis ac superatis omnibus difficultatibus, in
Palestinam festinitatum. Conf. ALBERTUS, circa
medium Seculi XIII. Monachus Benedictinus, & Cœ-
nobii STADENSIS Abbas, in Chron. ad Ann. 1097.
CONRADUS à LICHTENAU, Seculi XIII. Abbas
URSPERGENSIS, Danos unâ cum aliis Principum
Christianorum auxiliaribus copiis, omnem operam
atq; industriam ad Romaniam subigendam, & recupe-
randam Nicæam contulisse, atq; Antiochiam tandem
obsidione cinxisse, in Chronico suo recenset, Interea,
inquiens, Gothofredus, Lotharingiæ Dux, vir genere,
armis & ingenio clarissimus, qui iter per Orientalem
Franciam fecerat, quiq; Pannonias, Bulgariasq; perme-
ârât, Constantinopolitano fœderatur Imperatori, ejusq;
præsidis fultus Romaniam attigit, ibiq; sociatis sibi tam
Siciliæ, quàm Græciæ DANORUM, NORD-
MANNORUM, ceterorumq; transmarinorum ex-
ercitibus, imò universarum Christum colentium Na-
tionum auxiliis, frequenti concursu barbaros atterere
cœpit. Tandem Romaniâ occupatâ, Nicæâ captâ,
Antio-

*Antiochia confedit obsidio. Et alibi: Insuper, quod dictu mirabile est, ipsum Oceani litem velocitate consuetâ supervolans, Insulanorum etiam Classibus maria ipsa cœlestis Regis militia redundare fecit. Nam, ut verissimè comperimus, tam ignotos effudit Oceanus populos, cujus ne dicam mores & habitus, sed ne loquelam quisquam hujus littoris habitator vel de ipsis marinariis agnosceret, rursusq; alios, quibus nihil præter panem & aquam in usu victûs esset, itemq; quosdam, quibus argentum pro ferro in omnibus utensilibus esset. Hinc & undecunq; agebatur quotidie circa circum signatorum numerus, & ut ita prælibavimus, in hujusmodi expeditionem totus fervet, totus concutitur, vel potius transformari mundus videbatur. Regem DANIÆ SUENONEM (quem alii rectiùs non ipsum Regem, sed Regis Suenonis filium fuisse scribunt) Sacræ peregrinationis desiderio accensum mille & quingentos armatos ejusdem nationis juvenes, sed exitu funestò, Christianis in subsidium traxisse in Orientem, GUILHELMUS, Seculi XII. Archiepiscopus Tyrius in *Historia belli per Occidentis Principes Christianos in terra Sancta totaq; Syria gesti* refert. Vid. PAULUS ÆMILIUS sub Philippo I. p. 125. nec non CALVISIUS in *Chron. ad Ann. 1096.* Quam operam exhibuerant Dani GOTHOFREDO BULLIONÆO, eandem quoq; exhibuerunt ejusdem fratri*

BALDUINO I. Regni Hierosolymitani dignissimo heredi. Hic enim Urbem *Sidon* terrâ mariq; cinctam, ope Danorum Norwegorumq; expugnavit. Testatur id ipsum CHRISTIANUS ADRICHOMIUS, qui in *Theatro terræ Sanctæ* è jam citato Archiepiscopo Tyrio refert, quæ sequuntur: *Cùm Anno à Christianitate 636. Sidon in Saracenorum manus pervenisset, Hierosolymorum Rex Balduinus I. An. iiii. instructâ DANORUM & NORDWEGORUM, qui Sacra loca visitandi gratiâ apud Joppen appulsi erant, navium classe, civitatem mari cingens, ac suo exercitu terrâ obsidione vallans, eam mense Decembri cepit, ac captam cuidam ex Magnatum numero, Eustachio Gemer, jure hereditariô possidendam donavit. DANOS verò & NORWEGOS pro navata belli opera præter victum nihil exigentes donariis honoravit.* De hac ipsa Danorum Expeditione ALBERTUS, Canonicus & Custos sive Ædituus Ecclesiæ AQUENSIS, in *Historia Hierosolymitana Expeditionis*, quam super itinere, vel (ut ipse loquitur) passagio Godefridi de Bullione, & aliorum Principum conscripsit, *lib. X.* sequentia prodit: *Septimô anno Balduini plurima multitudo navalis exercitûs catholicæ gentis Anglorum septem millia navibus, quas Buzas vocant, cum cætera manu de Regno DANORUM Flandriæ & Antwerpiæ advecta, ad portum civitatis*
Japhet

Japhet anchoras fixerunt, moram ibi facere constituen-
tes, donec Regis licentiâ & conductu accepto in Jerusa-
lem adorare licuisset. Quod ipsis conceditur à Rege,
qui in templo Domini sepulchri, votis suis Domino red-
ditis, cum gaudio sine obstaculo Joppen reversi sunt, ubi
Balduinum reperientes auxilio se ei adesse in omnibus
devoverunt, ad quaecunq; animus illius verteretur. Si-
donem obsidere intendunt. Hisce pollicem premit
PETRUS BIZARUS, superioris Seculi Scriptor cele-
berrimus, quem MARCUS ZUERIUS BOXHOR-
NIUS in *Histor. Univers.* p. 801. gravissimum rerum
Persicarum Scriptorem nominat. Hic in *Historia Ge-
nuensium de Expedit. I. Syriaca* p. 596. Eâdem tem-
pestate, inquit, ex DANIA, quæ olim Cimbria fuit &
Norwegia, haud exigua classis in mari Orientali ad
communem Christianam Rempublicam juvandam
conspecta fuit, quæ certè tam opportunò tempore subsi-
dio nostris missa est, ut ejus usus nobis maximè utilis
fuerit & certè necessarius, cujus auxiliò & virtute Si-
don urbs inter Berythum & antiquam Tyrum nobilissi-
ma recepta fuit. Porro spectatam DANORUM for-
titudinem & invictum adversus Saracenos pugnandi
animum experti quoq; sunt Lusitanorum Reges. Ete-
nim ERICUM, Daniæ Regem, Ulyssiponem Mauro-
rum manibus Ann. 1147. ereptam Lusitanorum Re-
gi restituisse, testis est CALVISIUS in *Chron. Lusita-
norum*

norum Rex Sactius *Sylvam* urbem Danorum ope cepit & incendit. Namq; (verba sunt Clarissimi PONTANI in *Hist. Dan.* ad Ann. 1189.) Romanus Pontifex CLEMENS ejus nominis III. missâ seorsim ad CANUTUM in Daniam legatione, deq; auxilio mari submittendo iisdem in Asia laborantibus Regem cohortatus est. Et referunt Chronographi, Danos tum unâ cum Frisonibus & Flandris navium classem 53. in subsidium confestim expedivisse. Quæ exinde clasfis postquam oram solvisset, vi tempestatum in portum Ulyssiponensem delata tam insignem SANCIO Portugallensium Regi operam navavit, ut civitas Sylvensis à jugo Saracenorum liberata ipsius tum accesserit imperio. Eundem CANUTUM VI. Daniæ Regem navali operâ Ptolomaidem Christianis restituisse, *Chronicon Hierosolymitanum* incerti Autoris, quod REINERUS REINECCIUS postinde edidit, testatur. Atq; hæ Expeditiones contra Saracenos, imprimis verò contra Africanos & Mauros susceptæ occasionem dederunt, ut regii Danorum filii, in signum victoriæ ab Africanis & Mauris, quos Romani depingere sub Elephantino caractere solebant, reportatæ, Elephantem in regium insigne eligerent, novumq; Ordinem, Elephantinum dictum constituerent.

II.

Autor,

Quis primus Regii hujus Ordinis Autor & Conditor

tor fuerit, de eo non omninò conveniunt Rerum Dani-
carum Scriptores, sed in varias atq; diversas abeunt
sententias. Alii namq; CHRISTIANUM IV. ùt *Men-*
enius & Pontanus; alii FRIEDERICUM II. ùt *Seldenus*;
alii JOHANNEM, ùt *Anshelmus*; CHRISTIANUM I. alii, ùt
Rossæus & Neumarkius, Ordinis hujus Autorem
constituunt. Omnes autem à veritatis tramite ab-
errâsse, patebit ex sequentibus. Namq; CHRISTIA-
NUM IV. non esse Ordinis hujus Conditorem, patet
ex eo, quòd Regius Ordo Elephantinus primis tem-
poribus in insignibus suis habuit Elephantis annexam
B. Mariæ Virginis imaginem, radiis solaribus circum-
datam cum crescente luna sub pedibus ejus. Confe-
crâsse autem hoc pectorale Virgini Deiparæ Religio-
sissimus Princeps CHRISTIANUS IV. non potuit, quia
omnem Sanctorum cultum & honorem, vigore Au-
gustanæ Confessionis, ad cujus normam auspiciis
FRIEDERICI I. Daniæ Regis, Ecclesiæ Danicæ per JO-
HANNEM BUGENHAGIUM, *Pomeranum*, jam diu erant
reformatæ, respuebat. Dicatum ergo illud pecto-
rale B. Virgini Mariæ, tanquam cœlesti, ùt credebatur,
Oratrici & Propugnatrici, & institutus Ordo Elephan-
tinus ante CHRISTIANI IV. tempora fuit. De FRIE-
DERICO II. certum quidem est, eundem Regni sui Pri-
mates, Baronum titulis & privilegiis ornatos in con-
sortium Regii hujus Ordinis assumpturum, Ann. 1580.

B

novam

novam huic Ordini dedisse formam, nimirum ut solus
suo nominis caractere notatus Elephas superesset.
Ast propterea non primus Ordinis Elephantini *Autor*,
sed saltem *Restaurator* dici meruit. Nec inclyti hu-
jus Ordinis primordia ad JOHANNEM, Daniæ Regem,
referenda esse arbitramur. Quod enim Serenissi-
mus Princeps JOHANNES in ipsa nuptiarum cum CHRI-
STINA, *Saxonici Electoris ERNESTI* filia celebra-
tarum festiuitate, Elephantinum insigne, unicò tan-
tùm Elephantò, absq; Mariæ Virginis imagine gestàs-
se, Primatibusq; Regni concessisse dicitur, id talò niti-
tur minùs firmò. Siquidem antiqua Danorum mono-
menta testantur, plures Regio huic Ordini ab ipsis
statim ejus primordiis annexos fuisse Elephantes,
nec Regem JOHANNEM, sed *FRIEDERI-
CUM II.* fuisse inter Reges Daniæ primum, qui So-
cietatis hujus insignia unicò Elephante notata esse
voluit. *CHRISTIANUM I.* quod concernit, tan-
tùm abest, ut iter Romam versus ad impetrandum
Ordinem Elephantinum susceperit, ut potiùs religio-
sò petendi S. Sepulchrum votò, cujus sponsione ob-
strictus erat Deo, conscientiam suam liberaverit, quo
etiam à Pontifice est solutus. Obtulit quidem ille
Ann. 1474. Româ redux in itinere Duci Mantuano
aureum Elephantem, vel veriùs Elephantes aureos,
sed ultra hunc anni terminum Regii hujus Ordinis in-
signia

signia sese extendere patescit ex PONTANO, qui in
*Chorographica Daniæ descriptione pag. 769. PHILIP-
PUM Bonum, Burgundiæ Ducem An. 1430. hoc Da-
norum institutum creandi Equites secutum fuisse as-
serit. Quicquid autem ante Ann. 1474. obtinuit,
id eodem annò non primùm invaluit. Quin imò
gloriosissimæ memoriæ Rex CHRISTIANUS I. in-
felix admodum fuisset Ordinis hujus Conditor, cùm
nullus è Litteratis, quorum Magnus Mecænas semper
audiit, tum temporis fuerit repertus, qui tam illustre
institutum litterarum monumentis consignatum ad
feram posteritatem transmisisset. Quâ de causâ
paulò longiùs petenda sunt Elephantini Ordinis pri-
mordia. Namq; corniculata Luna, quæ sub pedi-
bus B. Mariæ Virginis in antiquissimis Ordinis hujus
insignibus conspicitur, ad corniculata Turcarum in-
signia à Danis in trophæum deportata haud dubiè
respicit. Corniculatam autem Lunam inter insignia
Turcarum referri, & à Christianis post obtentam à
Turcis victoriam in trophæum hodiernum deduci,
nemo facilè ignorabit. Quæ cum ita sint, CHRIS-
TIANUS I. auspicia prima dare huic Ordini non
potuit, eò quòd nec ipse Expeditioni Sacræ un-
quam interfuerit, nec gravioribus Regnorum suorum
negotiis distentus, ad instantiam Imperatoris, præsi-
dio proficisci contra Turcam fuerit potis, Rectiùs*

multo sentiunt illi, qui CANUTUM VI. *Waldemari*
Magni e *Sophia* Uxore filium & Regni Successorem,
qui non modo Ptolomaidem Christianis restituerat,
sed etiam ad arma barbaris Livonibus inferenda, lau-
dabilissimis Majorum vestigiis insistens, promptum se
ac benevolum praestiterat, Elephantini Ordinis Con-
ditorem constituunt. Hic Rotschildiae An. 1188.
Fratrem WALDEMARUM II. Regii Equitis pariter
& Ducis Sleswicensis titulo exornavit. Erat enim
apud antiquiores Daniae Reges in more positum, ut
filium primogenitum, titulo *Principis Patriae*, Regni
successorem & heredem designarent; illi vero, qui
proximus esset natus, Ducatum Sleswicensem confer-
rent, cum potestate succedendi in Regno, si primoge-
nitus absque liberis decessisset. Testatur id ipsum
JOHANNES MEURSIUS, qui in *Histor. Dan. in Vit. Ca-*
nuti VI. habet, quae sequuntur: *Ducatus Sleswicen-*
sis ea ratio est, ut, cum maximus filiorum Regis Da-
niae Patri suo successurus Procerum suffragiis designa-
retur, proximus natus hunc acciperet, ac si forte sine
prole is decederet, hic ad regnum capeffendum vocare-
tur. Cum autem imperante CANUTO VI. tam
turbulenta ingruerent tempora, quae necessario cer-
tum Imperii requirebant Successorem, & CANU-
TUS, ne filio suo, si quem adhuc fata darent, jus pri-
mogeniturae praeberet, fratri WALDEMARO Princi-
pis

pis Pat^ris titulum conferre nollet, eundem sub *Regii Equitis & Ducis Sleswicensis* titulô ad spem imperii provexit, & inter alia ornamenta Equestria, cum Ducatus Sleswicensis investituræ spes Regni fuerit annexa, Elephantinum insigne, tanquam Regium characterem eidem concessit. Vid. *MEURSIUS loc. cit. & PONTANUS in Rerum Danicarum Histor. ad An. 1188.*

III.

Equitum Elephantinorum Insignia primùm fuerunt quatuor turriti Elephantes, quatuor crucibus in modum anchoræ quasi concatenati, appensâ inferiùs imagine B. Virginis Mariæ Solaribus radiis circumdata, Jesum puerulum in sinu præferentis, cum corniculata Luna sub pedibus ejus. Hanc etenim virginem, cùjus effigies (ABBATE URSBERGENSI teste) Nicæâ captâ à Turcis erat dehonestata, sed in pristinum statum à Danis restituta, Reges & Principes Daniæ tanquam tutelarem Patronam elegerant. Unde etiam Ordo Elephantinus, *Ordo B. Mariæ Virginis* nuncupatus, eidemq; consecratus olim est, teste *AUBERTO MIRÆO, Bruxellensi*, circa currentis hujus Seculi primordia Decano Antuerpiensi, qui *Lib. II. de Origine Equestrium sive Militarium Ordinum cap. 10.* inquit: *Apud Danos olim Ordo floruit Elephanti titulô & tesserâ clarus, DEI-*

Insignia.

B 3

PARÆ

PARÆ SACER. Subsequentibus temporibus quatuor cruces sunt ablatae, substitutis in earundem locum quatuor calcaribus, tanquam propriis Equitum insignibus, quibus Elephantes quatuor concatenatebantur. Voluerunt autem antiquiores Dani per quatuor turratos Elephantes posteritati commendare memoriam rerum pro Christi nomine præclare gestarum per quatuor istas fortissimas, & in quatuor orbis partibus celeberrimas Danorum scilicet, Gothorum, Longobardorum & Nordmannorum gentes, quarum singulae è Dania, tanquam non infœcunda matre exeuntes, civitates turratas multas oppresserunt, multas erexerunt, & ita Principatus & Regna constituendo egregiam operam in Rempublicam Christianam contulerunt. Tempore *FRIEDERICI II.* preces & cultum Sanctis admodum detestati, in locum B. Virginis Mariæ substitutus est unicus turratus Elephas è torque aureo propendens, habens in medio Regii nominis characterem, atque sub pedibus inscriptas quatuor istas litteras T. I. W. B. hoc est, *Trew Ist WildBret* / cum hac pectoralis inscriptione : *MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN.* 1580. Deinde ab Augustissimo Danorum Rege *CHRISTIANO IV.* Regii Ordinis tessera ita est formata, ut Elephas turratus primam Regii nominis litteram coronâ notatam in medio præferret

ferret, postea verò, & quidem Ann. 1616. expugnata
Colmariâ, & felici à Suecis reportatâ victoriâ, chara-
ctere nominis omisso, quatuor adamantes, interpo-
sitos armatos brachio, sunt substituti, cum hoc Sym-
bolo: *ELEPHAS NON CURAT MUSCAS*: Vel, *RE-*
GNA FIRMAT PIETAS. Sub Potentissimo Rege
FRIEDERICO III. locò quatuor adamantum, ar-
matum brachium in medio habentium, quinque ada-
mantes in latere Elephantis è cœruleo cingulo pro-
pendentis, in quotidianam quinque vulnerum Christi
memoriam, ad formam crucis sunt dispositi. Ge-
stavit tamen etiam idem gloriosissimæ memoriæ Rex
in Elephantis latere unicum magni, pretii adaman-
tem, in Sacræ fidei & unitatis memoriam, unitate
nec dividente, nec multiplicante numerum. Postin-
de sub eodem Augustissimo Rege Ann. 1663. acces-
sit argentea Stella, circulum, in quo Pientissimi Regis
Symbolum: *DOMINUS PROVIDEBIT*
comprehensum, ambiens, quem tertium quoddam
artificiose connexum, in cujus medio, idque in argen-
teo & cœruleo plano duæ clausæ coronæ contineban-
tur, excepit, usque dum superiori annò Serenissimus
Rex *CHRISTIANUS V.* novum Ordinem, *Dehe-*
ne Broder / sive *DANUMFRATREM* appellatum
institueret, ubi ex argentea stella tertium cum coronis
& symbolo est ablatum, inque ejus locum character
crucis

crucis in coccineo fundamento substitutus. Cur autem *ELEPHAS* à Danorum Regibus in Regii & Equestris Ordinis symbolum fuerit assumtus, non eadem omnium est traditio. Sunt, qui Regium quendam Danorum Principem in prælio contra Saracenos Elephantem cæcidisse tradunt. Alii Elephantem Danis in nubibus quondam apparuisse referunt. Verùm quemadmodum Belgæ olim Expeditionem in Syriam paraturi, veteribus insignibus relictis, variorum colorum assumerunt Leones, quibus Saracenis essent formidabiliores; ita Regii Danorum filii Elephantem haud dubiè prætulerunt, non solum in iusti & internecivi in Saracenos, Mauros & Africanos, contra quos arma movebant, odii tesseram, sed etiam in Regii Imperii symbolum, utpote per quem omnes Regio Equite dignissimæ virtutes hieroglyphicè adumbrantur. Possemus quidem hîc multa, quæ in Elephantibus deprehenduntur, virtutum simulacra ex antiquissimi Scriptoris *CL. ÆLIANI Lib. IV. de Animal. Cap. 10. & WOLFGANGI FRANZII Part. I. Histor. Animal. Cap. 4.* necnon ex *JUSTI LIPSII Epist. 50. Cent. I. Miscellan.* (ubi quicquid ferè apud antiquos in laudem animalis istius legere est, ad *PLINII Lib. VIII. cap. 2. & 7.* sunt congesta) adducere; sed transcripsisse hoc loco sufficiat verba *FRANCISCI MENNENII, Antuerpiensis,*

piensis, quæ habet in *Deliciis Equestrium sive Mili-
tarium Ordinum* p. 149. ad hunc concepta modum:
Nec mirum Elephantis symbolum à Regibus Danie
huic Ordini cohonestando assumtum, cum summis vir-
tutibus nobile hoc animal ab antiquis prædicetur, &
quòd proximè ad humanam rationem accedat, fortitu-
dine scilicet militari, prudentiâ, & fulcrò Imperiorum
Religione, quæ non nisi in hominem cadit, Clementiâ
Regiâ, quæ Casarem Deorum adscripsit numero, Au-
gustum consecravit, Pio cognomentum dedit, Clemen-
tissimis Imperatoribus Maximino, Balbino & Gordi-
ano statuas cum Elephantis decrevit. Adhæc Ægy-
ptii Regem per Elephantis simulacrum intelligebant, non
ea tantum de causa, quòd, cum gregatim semper ingre-
diantur, is, qui maximus est natu, gregem ducit, quod
in Regibus eligendis multarum nationum & gentium
mos fuit, ut id muneris Senioribus demandaretur. Hinc
apud Hebræos Seniores, apud Athenienses Palæologi,
apud Romanos Senatores, rerum habenas moderari
soliti; verum propterea quod habet hoc animi Regii pe-
culiare, ut genua non flectat adeò notabiliter, ut anima-
lia reliqua, calcaneum verò leviter incurvet: nam ge-
nua non flectere ostendit supplicabundum non esse, fle-
dere verò calcaneum, humanitatem, quâ maximè præ-
ditus est, indicat. Conf. PONTANUS qui in Chorographi-
ca Danie descriptione è MENNENIO eadem adduxit.

C

IV, Varios

IV.

Statuta.

Varios variorum Principum Ordines certis Regulis & Statutis ut plurimum fuisse adstrictos, antiquitatis monumenta scrutantibus liquidò satis patefcit. At quæ huic Ordini olim fuerint conscriptæ Regulæ, quæ Statuta constituta, haurire hæcenus è Danicarum rerum Scriptoribus non licuit. Haud dubiè verò ii, quibus Regium hoc Insigne, tanquam fortitudinis adversus Christiani nominis hostes exhibitæ documentum olim fuit concessum, à Collatore sunt admoniti, ut Majorum suorum vestigia legentes pro fide & confessione Christiana, si necessitas efflagitaret, dimicarent, argumentis forsitan inter alia deductis ex proprietatibus & virtutibus Elephanti, animalis insignibus hujus Ordinis dicati. Ad hanc conjecturam nos ducere videntur, quæ ex *Deliciis Equestrium sive Militarium Ordinum FRANCISCI MENNENII* Thesi præcedente adduximus. Ceterum certum est, hodie absq; ulla Statutorum & Regularum mentione Regiam hanc tesseram conferri, inq; nullum alium finem, nisi in certissimum vel amicitia, vel benevolentia & clementia documentum.

V.

Membra.

Quantum ex historiis colligere licet, certum est, præter Regios Dania filios, qui maritimis expeditionibus contra barbaros & Christianæ Religionis hostes

stes præficiantur, & præter Reges ipsos, Elephantino insigni neminem exterorum Principum fuisse decoratum usq; ad tempora CHRISTIANI I. qui primus extero Principi, LUDOVICO Marchioni Mantuano, ob singularem, quem sibi Româ reduci Mantuæ exhibuerat honorem, Elephantinum insigne concessit. Subsequenti tamen tempore etiam Nobilibus in Dania, & quidem insigniter de Republica meritis tribui Regius hic Ordo cœpit. Placet in hanc rem adducere verba PONTANI, quæ habet in Chorographica Daniæ descriptione, pag. 769. *Nobiles deniq; licet nec Baronum, nec Comitum, aut Ducum titulis, ut indicavimus, gaudeant, dignitas tamen aut prærogativa tribui eorum nonnullis, præsertim de Republica benè meritis à Rege solet, quæ Equestris appellatur: unde eâ quicumq; ornati Ridders, eorumq; liberi ac prosapia Riddersmensmen vulgò appellitantur. Latine hos tales Equites Auratos dicimus. Nec illud modò, sed & his quoq; illud accedit, ut in Ordinem hunc Auratorum Equitum allecti aureo nummò vel torque aureo cum Elephanti simulacrò castellum gestantis donentur, ita, ut imâ torquis parte Elephantis affabrè in eam speciem allaboratus dependeat. Et quanquam Equestris honor apud complures Ordines effusus sæpe fuerit atq; obsoletus, iisq; haud rarò concessus, qui nullis rebus fortiter & præclarè gestis virtutem*

suam probatam dedissent; attamen Elephantini Ordinis dignitatem nulli, nisi qui vel domi, vel militiae strenuam operam patriae commodasset, vel aliam laude insignis extitisset, esse collatam, idem PONTANUS refert, quando *loc. cit.* paulo post hunc in modum pergit: *Et olim quidem, cum solum vel bellicam aut aliam aliquam egregiam laude insignibus haec dignitas tribueretur, Ordo Equestris aestimii majoris fuit, quam isto nostro seculo (vixit autem Pontanus in currentis huius seculi primordiis) cum haud semper testatae virtutis merito dari, sed qualescunq; passim favore Principum sublevari ut plurimum contingat. Quod tamen, licet frequenter alibi, apud Danos hodieq; rarissime obtinere solet. Et vix nisi ut praeclarum Singens comperta praestitaq; virtutis praemium illis, qui strenuam ac memorabilem domi militiaeq; operam enarrassent, solenni ritu ceremoniamq;, idq; in conspectu saepe numero exercitus, campisq; patentibus ab ipso conferri Regemorris habetur.*

VI.

Caput Conferre autem Regium hunc Ordinem nemo so-
Supre- let alius, nisi is, qui Regni Daniae scepra moderatur
mum, & habenas, utpote a cujus Majoribus Elephantinus Ordo ante seculorum aliquot decursum est institutus, & ad nostra usq; tempora derivatus. Labet in hanc rem tantum adducere exempla eorum Regum, qui e
Comi-

Comitibus Oldenburgicis oriundi tam exteros Prin-
cipes, quàm Regni sui Primate in Regiam Ordinis
hujus Societatem assumserunt. Ita Serenissimus Da-
niæ, Sueciæ & Norwegiæ Rex CHRISTIANUS I. qui
primus domui Oldenburgicæ Regiam dignitatem in-
tulit, Ann. 1474. in certissimæ amicitiaë tesseram
LUDOVICUM Marchionem Mantuanum, cùm ali-
quot dies apud eundem Româ redux commoratus,
conviviis, hastiludiis, aliisq; honoratus festivitibus
esset, in illustre Ordinis Elephantini sodalitiu[m] rece-
pit, de quo PONTANUS *Tom. II. Hist. Dan.* Hu-
jus abnepos FRIDERICUS II. Anno 1580. Regio-
rum Consiliariorum Bigam, Regiô Elephantini Ordi-
nis insigni insignes effecit. *CASPARUS ENS in*
Commentar. de bell. Suec. ANGELUS STRUTH
in Chron. Holsat. Laudabilissima Augustissimorum
horum Regum vestigia premens Potentissimus Rex
FRIEDERICUS III. gloriosissimæ memoriæ, Ele-
ctoratûs Saxonici heredem, *Serenissimum Princi-*
pem ac Dominum, Dominum JOHANNEM GE-
ORGIUM III. Saxonie, Juliaci, Clivia & Mon-
tium Ducem, Landgravium Thuringie, Marchionem
Misnie & Utriusq; Lusatie, Burggravium Magde-
burgi, Comitem de Marca & Ravensberg, Dynastam
in Ravenstein, Principem ac Dominum Nostrum
Clementissimum, die ii. Octobris, quæ erat Dominica

XVII. post. Trinit. Anno 1663. ubi cum Regia Principe prima Sanctissimi Conjugii jura pridie contraxisset, in Augusta, publica & solenni praesentia, Hafniae in arce Regia, una cum septem aliis Regni Danici Proceribus, Regio hujus Ordinis insigni exornavit. Quemadmodum autem omnes in omni Republica Societates praecipuae sibi laudi ducunt, plura habere eaque illustria membra, ad eundem plane modum dictus beatissimae memoriae Rex in id incubuit, quemadmodum plures Teutonici sanguinis Principes, eosque genere pariter & virtute maxime Illustres associando, Regium Ordinem Elephantinum reddere Illustriorem possit. Qua de causa cum Regiam Ipsius Majestatem *Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus CHRISTIANUS ERNESTUS, Marchio Brandenburgensis, Magdeburgensium, Prussorum, Stetinsium, Pomeranorum, Cassubiorum, Vandalorum, ut & Silesiae, Crossensium & Jagerdorffensium Dux, Burggravius Norimbergensis, Princeps Halberstadiensis, Mindensis & Caminensis, Princeps ac Dominus noster Clementissimus*, Anno 1668. Hafniae inviseret, ob eximias & tanto Principe dignas animi juxta & corporis dotes & virtutes, in luculentum Regiae benevolentiae signum, maximo cum splendore, in splendidissima Serenissimorum Principum & Illustrium virorum praesentia d. 28. Martii, ejusdem

dem Anni, Regio Elephantini Ordinis Diademate eundem condecoravit. Et ita laudatissimus hic Princeps in Ordinem illum receptus tum temporis est, cujus Illustrissima insignia, ab eodem Augustissimo Rege, Serenissimo Principi ac Domino, Domino *EBERHARDO III. Duci Wurtembergia & Teccia, Comiti Mompelgardia, Dynasta Heidenhemii, Principi ac Domino Nostro Clementissimo*, ne tale quid opinanti, ob non intermorituram Ipsius Gloriam & Virtutem, cujus fama in ultimas terrarum oras se diffuderat, Anno 1656, jam dum erant transmissa,

VII.

Atq; Regius hic Ordo Elephantinus alius planè est ab Ordine *EQUITUM AURATORUM*, quales & olim in Dania floruisse, atq; à *FRIEDERICO II.* cum jam Danorum Rex esset coronatus, An. 1559. creatos esse, *CASPARUS ENS*, Lorchenfis, in *Rerum Danicarum Historia* recenset, *Quibus finitis*, inquit, octo fortissimos & de Patria benè meritos viros *EQUITUM AURATORUM* dignitate, solennibus adhibitis ceremoniis condecorat. Quales autem ceremoniæ adhibitæ tum temporis fuerint, sequentes versus edocere nos quàm optimè possunt. Sic autem sonant:

*Tandem etiam Auratos Equites creat, ense sinistrum
Rex feriens humerum, Patriæ qui multa tulissent*

Commo-

Diversitas
ab Ordine
Equitum
Aurato-
rum s. S.
sepulchri,
nec non
danorum
Fratrum.

*Commoda: præsertim quorum bellô inclyta virtus
Emicuit. Læti discedunt singuli honorum
Accipiuntq; suæ virtutis præmia digna.*

In quibus verbis Rex *FRIEDERICUS II.* Equites Auratos, gladiô sinistrum uniuscujusq; humerum feriens creâsse dicitur; Insigne verò Elephantinum iisdem concessisse non dicitur. Jam autem Ordinis Elephantini Equitibus in insignibus usitatis Elephantus semper appositus conspicitur; Auratis verò Equitibus absolutè ita dictis non item. Obtinuerunt autem Equitum Auratorum nomen eò, quòd in publico & solenni inaugurationis actu gladiô, calcaribus auratis, & aureô torque cum cruce pendente sint condecorati. Vid. *PONTANUS sub Waldemaro III.* Dicti aliò nomine sunt *EQUITES ORDINIS CHRISTI*, vel *EQUITES S. SEPULCHRI*, quia Sacrum Christi sepulchrum Religionis ergò adire consueverunt. Esse autem (quod pace aliorum dixerimus) *EQUITES S. SEPULCHRI* alios ab *EQUITIBUS ELEPHANTINIS*, patet tum ex diversitate causse efficientis, tum ex diversitate insignium. Nam Equites Elephantini non nisi à Regibus Daniæ sunt constituti: Auratos verò Danorum Equites etiam exteri Principes creaverunt. Testem hujus rei producimus sæpe citatum *PONTANUM*, qui in *Histor. Dan.* ita: Anno 1356. in terram Sandam

Etiam religionis ergò profectus WALDEMARUS
(Tertium hujus nominis Daniæ Regem intelligit)
Comitem secum duxit ERICUM, Saxonie Ducem,
præter Nobiles per plures interioris admisionis. Cum
ad Christi Servatoris esset deventum monumentum,
ab ERICO, Duce Saxonie, conceptis solenni more
verbis, EQUES ORDINIS CHRISTI creatus
est. Estq; ibidem à Præfeto Monachorum, qui se-
pulchrum servabant, seriò commonitus, ut strenuè pro
fide & confessione Christiana dimicarent, Majorum
suorum, qui primi in Æstioniam Christiana Sacra intu-
lissent, vestigiis insistentes. En disertis verbis asseren-
tem PONTANUM, Regem Daniæ WALDEMARUM III.
ab extero Principe, ERICO, Saxonie Duce, ORDI-
NIS CHRISTI EQUITEM esse creatum, quod receptæ
Elephantini Ordinis consuetudini directè contraria-
tur, quippe cujus Equites à solis Daniæ Regibus con-
stitutos legimus. Habent etiam Equites Ordinis
Elephantini alia ab Equitibus Auratis insignia. Ete-
nim Elephantini Equites nunquam non vel plures, vel
unicum in insignibus suis habuerunt Elephantem :
Aurati verò Equites aureo torque cum pendente cru-
ce fuerunt insignes. Quòd si verò obtinuit, ut Ele-
phantini Equites S. Sepulchri crucis signum Ordinis
sui tesserae adjunctum esse voluerint, id Ordinum ho-
rum identitatem non arguit, sed tantum significat,
D *eos,*

eos, qui ob religiosum iter ad S. Sepulchrum Christi susceptum, in *Ordinem Christi sive S. Sepulchri* fuerunt recepti, jam dum *Regio Ordinis Elephantini* caractere fuisse insignes, non aliter atq; hodie novus *DANORUM FRATRUM* Ordo alius est ab Ordine Elephantino. Namq; Illustres Ordinis Elephantini Equites omnes quidem habent caracterem crucis, tanquam Insigne Ordinis Danorum Fratrum, sed non contrà. Multi siquidem sunt, qui nomen suum inter Ordinis Elephantini Equites non profitentur, sed tantum Danorum Fratrum caractere, qui est signum crucis è cingulo albo propendentis, sunt condecorati. Atq; hæc sunt, quæ de *REGIO ORDINE ELEPHANTINO* è nonnullis Danicarum rerum monumentis tum excusis, tum manuscriptis, imprimis verò è Celebrissimi Viri *IVARI NICOLAI HERZHOLMI* manuscripto, haurire licuit, meliora hoc in negotio docentibus lubentes omninò cesluri. Quòd si non omnia pro argumenti dignitate fuerunt à nobis explicata, veniam, ut spero, merebimur, cum non omnes, quos quidem exoptabamus, tum antiquiores, tum recentiores Danicarum Rerum Scriptores evolvere nobis integrum fuerit.

COROLLARIA.

Cum Thes. II. dictum sit, antiquiores Danicæ Reges filium primogenitum Regni successorem & heredem designasse, non abs re quæritur †

1. An

1. *An Successio Primogeniti sit juris humani positivi, an verò communis gentium juris? Affirm. prius; Neg. posterius.*
2. *Si Rex aut Princeps ante adeptionem Regni vel Principatûs filium genuerit primogenitum, & post adeptionem alium, quisnam in Successione post mortem Parentis preferendus, an ille, qui ante, an qui post genitus sit? Affirm. prius; Neg. posterius.*

S. D. G.

Suo

LEONHARDO LUDOVICO Voigt /
Dresdensi Misnico,

*Optimi Parentis optimo filio; Auditori,
Consalino atq; Contubernali per-
quàm dilecto,*

publicum Eruditionis suæ specimen
non sine applausu edenti
applaudebat

P R Æ S E S.

UNde Elephantinus descenderit Ordo recenset.
Grator; & inde Tibi commoda multa precor.
Ad

OKT m 585

Ad
Politissimum Respondentem,
JUVENEM
Spei generisq; nobilioris
LEONHARDUM LUDOVICUM Voigt /
Dresdensem
Σ Τ Γ Χ Α Ρ Μ Α.

Sunt hodie multi faciunt qui ex musca Elephantum;
Ars hæc in mundo clara frequensq; viget.
Sed tibi, mi VOIGT!, ars isthæc monstrosa putatur,
Atq; tuo genio displicet artis opus.
Hic ELEPHAS placet ingenio, qui Regibus ortus,
Quos serie multâ Danica regna tenent,
Historiam cujus tu prima ab origine texit,
Florilegâ versans tot monumenta manu.
Laudo! Mendaces muscas suos arguit illas,
TE tuus ast Phœbi veram Elephantus apem.

f.
M. JO. CHRISTOPHORUS LAURUS, Eloq. &
Poët. Prof. Publ.

Sonnet

Er Elephant / Herr Voigt / Ein übergrosses Thier
und dessen Ordens leut / von hohen Stamm gezeüget /
Kann Seiner Fleißheit Fleiß / der sich zu wissen neiget /
Was nicht gemeines ist / sehr klug berühren hier.

Das Sachs- und Brennus-Haus / so dieses Ordens Zier
Von Mars / dem Krieges-Gott / zum Streiten aufgesäuet
Will hoch durch weisen Sinn von Ihm mit Ruhm bezweiget /
Auch igt erhoben seyn / wie künfftig für und für.

Ich ruffe Blüt dazu! Gott laß gestirnet stehen
Die Helden und Ihr Haus / so Fürsten übergehen
An Tugend / Krafft und Macht. Ihm aber wird zu lohn

Die drey gedritte Schaar auf ihrem Pindus geben /
Wenn Er so fährt fort / ein Ruhm-beseeltes Leben /
Der Er des Batters ist wohl nachgearter Sohn.

Also beehrte den Herrn Respondenten Sein mehr als guter Freund
Johannes Colberg / von Colberg aus hinter Pomern.

VOIGT

m.c.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
 LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black



S
 J

